



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Rex Philippus Augustus eam bonorum episcopalium retentionem
coërcuit ad Regalia. Ea verò redi debent electo post consecrationem.
Dein Episcopus tenetur Regi præstare juramentum fidelitatis... ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

locent, de plebis cura rationem Episcopis reddituros.
Vide porto quæ à nobis suprà dicta sunt in Notis ad
hunc canonem Claromontanum.

CAP V T XXII.

Synopsis.

I. An Reges Francorum ad se traxerint custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Falsitatum id ab eis ostenditur variis argumentis.

II. Adeo autem receptum erat jus illud in Gallia ut adnotet divus Bernardus noluisse electum Lingonensem ullam bonorum administrationem suscipere donec eorum investituram accepisset à Rege, in quo laudatur à Bernardo.

III. Rex Philippus Augustus eam bonorum episcopalium retentionem coércevit ad Regalia. Ea vero reddi debent electio post consecrationem. Dein Episcopus tenetur Regi præstare juramentum fidelitatis. Quod si id non fecerit, Dominus Rex poterit lauire Regalia sua, & ea tamdiu tenere donec præstatum juramentum fuerit.

IV. Fruebantur præterea Reges reditibus Ecclesia vacantis; ut colligitur ex privilegio quod Papa Formosus concessit Ecclesia Remensi. Explicamur verba hujus privilegii.

V. His tamen reditibus aut collatione Præbendarum non fruebantur Principes aeo Gregorij septimi & sequentium Pontificum. Vt si fructus itaque reditum ecclesiasticorum introductus est post constitutionem Calisti secundi. Inquiritur in rationem hujus novitatis.

VI. Moris hujus originem auctoritate Philippi Pulcri Regis.

VII. Præterius custodia Regalium Principes ad se traxerint usumfructum decimarium & omnium reddituum temporalium. Quod ratione non omnino desistebatur. Quoniam vero collatio beneficiorum censetur pertinere ad fructus, ex eo factum ut Reges ad se traxerint collationem Præbendarum. quod jus vetustum est in Anglia.

VIII. In Gallia, jam inde a temporibus Ludovici junioris, Reges fruebantur reditibus episcopatus vacantis.

IX. Omnes reditus episcopatus vacantis ad Regem pertinet, atque etiam omnia mobilia Episcopi, si deceperit intestatus.

X. Aeo Philippi Augusti receptum erat Præbendarum collationem ad Regem perimere sede vacante.

XI. Hanc esse antiquam & approbatam consuetudinem regni aiebat idem Philippus. Adeo autem solidata erat hec potestas aeo divi Ludovici ut Clemens quartus revocaverit provisionem à se factam de quadam Præbenda Remensi: quod idem Ludovicus conqueretur tentatum id fuisse adversus iura regia. Id jus agnovit Gregorius decimus.

XII. Spolia etiam Episcoporum ad Reges pertinebant in Gallia.

I. **S**UPEREST itaque ut investigemus an Reges Francorum ad se traherent custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Ac primùm quidem vocabulum ipsum investituræ satis indicat ita prorsus factitatum fuisse. Neque enim revera potuisse

sent Reges eorum concessionem tribuere, nisi ea habuissent in manibus. Hujus bonorum ecclesiasticorum occupationis introducitio extat in capite octavo Capitulorum Caroli Calvi: ubi statuitur anno DCCCLXXVII. ut post Episcopi obitum Metropolitanus ad Ecclesiam vacantem mittat Visitatorem, qui unà cum Comite five Gubernatore eam custodiat, impediātque ne quid ea detrimenti capiat. Si aliquis Episcopus interim obierit, inquit, Archiepiscopus ipsi sedi Visitatorem secundum sacros canones deputet, qui unà cum Comite ipsam Ecclesiam, ne prædeatur, custodiat, usquedam ipsius Episcopi obitus ad vestram notitiam perveniat. Argumento autem sequentia erunt solitos Reges ea bona retinere donec electioni consenserint. Exstar enim disertum hujus rei testimonium apud Iwonem Episcopum Carnotensem in epistola centesima quarta. Scribens enim ad Papam Paschalem ait Regem nolle consentire electioni Galonis pro episcopatu Belyacensi, neque etiam bona ecclesiastica dimittere in gratiam electi. Res, inquit, non vult electioni sensum præbere, nec electo bona episcopalia dimittere. De bonis loquitur, absque discriminé ullo. Sed post habitum sub Callisto Remensi Concilium, ea rerentio coércebatur ad sola Regalia.

II. Adeo autem receptum erat jus illud in Gallia ut divus Bernardus ad Ludovicum septimum Regem scribens de monacho quodam, qui ad episcopatum Lingonensem electus erat, adnotet eum noluisse ullam bonorum administrationem suscipere, donec eorum investituram accepisset à Rege. In quo ait Bernardus testaram eum fecisse fidem suam in Principem, quod à nemine alio recipere voluerit ea quæ à Rege pendent quam à Rege ipso. Haec sunt ejus verba in epistola C L X X. Electio rite celebrata est. Electus fidelis est. Non autem est fidelis, si vestra & non per vos habere vellet. Needum prorsus se intromisi de aliquo; quanquam invitatio cleri & populi, & oppressorum afflictio, & vota bonorum, id ab eo vehementissime flagaverint.

III. At posteri, tametsi jure regio universa bona episcopalia occupare consueverint sede vacante, veterem tamen loquendi formulam retinuerunt, eam retentionem coércentes ad Regalia. Rex quippe Philippus Augustus ad bellum sacrum proficiens anno M C X C. Reginæ matri sua & avunculo suo Remensi Archiepiscopo regni Regentibus constitutis, præcipit ut Regalia retineant donec electus Episcopus fuerit consecratus. Regina autem & Archiepiscopus, inquit, tamdiu Regalia in manu sua teneant donec

& Imperij Lib. VIII. Cap. XXII. 439

To 1. Libet. Ecl. Gallic. cap. 16.

Tit. 7.

To 1. Libet. Ecl. Gallic. cap. 16.

Tit. 12.

electus consecratus sit vel benodictus. Et tunc Regalia sine contradictione reddantur. Iam enim antea pater ejus Ludovicus septimus dixerat anno millesimo centesimo sexagesimo primo, post obitum nempe Theobaldi Episcopi Parisiensis: Episcopatus & Regale in manum nostram venit. Vnde factum ut Mauricius Episcopus Cenomanensis fateatur anno M C C X X I I I. quod quando electus Cenomanensis erit confirmatus a Metropolitanano, Rex reddet ei Regalia sua. Electus tamen tenebitur praestare Regi juramentum fidelitatis intra spatiū quadrangula dierum. Quod si id non fecerit, Dominus Rex poterit saifire Regalia sua, & ea tamdiu tenere quoniamque Dominus Regi fidelitatem fecerit. Hinc pariter factum ut anno M C C X L V I I. matri sua id indulget ut possit fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere, & eis Regalia restituere. Verba hæc accommodata sunt ad statuta Conciliorum, tametsi ea tempestate retentio fructuum porrigeretur ad universa bona episcopalia, ut dicimus.

*IV. Sufficienter, ut opinor, probavimus solitos Reges occupare Regalia sede vacante. Nunc ergo inspiciendum est an iidem fruerentur reditibus, & an Præbendas ullo unquam tempore contulerint. Ac prima quidem fronte occurrit veterum esse usum illum fruendi reditibus Ecclesiæ vacantis, argumento ducto à privilegio quod Papa Formosus Ecclesiæ Remensi concessit anno D C C C X C I I. precibus Fulonis ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi annuens. Prohibet enim ne Reges, Episcopi, aut quilibet Christianorum, sede Remensi vacante, in suam utilitatem convertant episcopatum Remensem aut ejus reditus; sed omnia futuro antistiti reserventur, eligendo intra tempus statutum in canonibus, id est, intra trium mensium spatium, ne diutiùs quam par est metropolis sit destituta pastore. Tertiem hujus constitutionis laudo Flodoardum; cuius hæc sunt verba in libro quarto historiae Remensis capite secundo: *Sanciens insuper auctoritate beati Petri ut nemo Regum, nullus antistitum, nemo quilibet Christianus, decadente Remorum Episcopo, ipsum episcopatum vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque sub suo dominio teneat, preter ipsius civitatis Episcopum, & eandem metropolim nou alira constitutionem canonicam sine regulis conveniente pastore manere cogat, neque aliter Episcopum ibidem nisi ut sacri canones iubent constitui faciat.**

Verum abusus ille quem hoc loco damnat Formosus confundi non debet cum jure Regaliæ de quo nunc agimus. Nam Regalia desinit post præstitum fidelitatis juramenti. Rescriptum vero Papæ Formosi tradu-

cit pravam quandam consuetudinem quæ in Galliis invaluerat, ubi laicis non solum monasteria concedebantur propter imminenter reip. necessitatem, (ut habetur in canone quinto synodi apud Theodonis-villam habitat anno D C C C X L I V. & in canone duodecimo Concilij Vernenſis) sed etiam interdum redditus episcopatum vacantium. Quod aliquid canon xxi. Concilij Meldensis anno D C C C X L V. congregati, dum loquuntur de precariis factis ab his qui loca Episcoporum occupaverunt. Hinc autem siebat ut Episcoporum electiones retardarentur. Cui incommode occurrit privilegium Papæ Formosi. Porro consuetudo hæc interrupta erat ante controversiam investiturarum.

*V. Nam si Præcipes tum soliti essent frui reditibus episcopatum vacantium & Præbendas conferre, id haudquaquam silentio transmisissent Gregorius septimus, Urbanus secundus, Paschalis secundus, & Callistus secundus Summi Pontifices, qui severè admodum damnaverunt unicam illam solennitatem investiturae per baculum & annulum & solennitatem juramenti per manum, quique investituram coercuerunt ad sola feuda. Itaque in ea sum sententia ut existimem usumfructum reddituum ecclesiasticorum introductum esse post constitucionem Callisti editam anno M C X X I I. quæ Regibus tribuit potestatem exigendi a Prælatis universa officia & obsequia quæ ratione feudorum exhibere tenentur: *Quæ ex Regalibus debet faciat.* Vnde factum est ut quemadmodum plurimarum hujus regni provinciarum consuetudo domino feudi addicit usumfructum quoties feudum vacat per mortem vassalli, id quod vulgo * Relevium vocant, sic Reges eo feudorum jure, quoad Regalia five patrimonia episcopatum, usi sint interim dum eorum custodiā ad se receperant, donec sedi vacanti præfectus esset Episcopus, & donec isinvestituram a Rege accepisset, juramentūque fidelitatis præstisset. Quod jus in primis introductum est in provincias in quibus mutatio domini necessitatem imponit solvendi commodum aliquod & utile domino superiori, quod relevium vocant, ut dixi, cum è contraria in illis quæ huic juri relevij obnoxij non sunt, nihil à Regibus tentatum fuerit quod usumfructum Regalium.*

* Rellef.

VI. Ius autem illud, tametsi recenter introductum quoad feuda ad Ecclesiam pertinientia, legitimū nihilominus & æquum erat, quod ea feuda iisdem legibus subiecta esse debeant quibus cetera tenentur. Arbitror autem Reges, resarcendi damnis suis intentos quæ toleraverant dimittendo